

ipsummet actum directum, qui, sicut in ratione actus honestus est, ita etiam in ratione objecti; ergo etiam actus reflexus est ex objecto bonus, et potest fieri cum debitis circumstantiis, ut per se patet; imo ita fieri supponimus, cum de merito tractamus; ergo sicut illi sunt duo actus humani, et per se liberi, ita etiam habent duas bonitates; ergo ex utroque capite libertatis et bonitatis unusquisque illorum habet suum proprium meritum, et in utroque simul est majus meritum extensive quam in altero tantum. Et hæc ratio, licet sit evidentior in his actibus, quando voluntas reflexa est tantum propositum in futurum, et postea sequitur propositi executio, nihilominus convincit, etiamsi actus reflexus intelligatur ut imperans pro eodem instanti actum amoris, verbi gratia, si tamen supponantur esse distincti actus. Nam si supponimus voluntatem amandi, ita efficacem ut simul habeat conjunctum amorem, nunquam esse distinctam ab ipso actu amoris, cessat quæstio, quia ibi non sunt actus imperans et imperatus formaliter, sed virtute tantum, et ita sicut non sunt ibi duo actus, ita nec duæ bonitates vel dua merita, sed unum intime ac necessario includens voluntatem ipsius actus, et objecti ejus. Si autem admittatur actuum distinctio, etiamsi simul sint, suas distinctas bonitates retinebunt, cum propria uniuscujusque libertate, ac subinde cum proprio merito. Et ideo non recte procedit ratio in contrarium supra facta, argumentando a virtuali voluntario incluso in simplici actu ad voluntarium reflexum per actum distinctum; est enim longe diversa ratio, quia voluntarium implicitum est indistinctum ab actu, et est de intrinseca ratione formalis bonitatis actus elicitus a voluntate, et ideo neque illam, neque meritum augere potest, sed potius (ut ita dicam) illud suo modo constituit. At vero expressum voluntarium per actum reflexum est extrinsecum actui volito, et addit peculiarem usum voluntatis et libertatis, et ideo propriam bonitatem addit, distinctam a bonitate actus voliti. Cujus etiam manifestum signum est, quia bonitas actus voliti, verbi gratia, amoris Dei, sumitur ex objecto, nempe bonitate Dei, et directa tendentia in ipsam; bonitas autem volitionis reflexæ ipsius amoris sumitur ab ipso amore, tanquam ab objecto; sicut ergo illa objecta distincta sunt, ita et bonitates illorum actuum. Et ita etiam responsum est ad primam confirmationem, nam licet implicitum et explicitum quoad aliquos

effectus vel obligationes possint æquivalere in moralibus, et præsertim in malis, quæ facilius et ex quocumque defectu committuntur, nihilominus non semper illa duo æqualia sunt, præsertim in bonis et in meritis, quæ, multiplicatis actibus, multiplicantur. Quamvis etiam dici possit quod, licet amor Dei non fiat in se magis meritorius, eo quod sit reflexa voluntate volitus, nihilominus voluntatem illam aliquid meriti addere, non propter differentiam impliciti et expliciti, sed quia est novus actus moralis et honestus.

13. *Ad secundam confirmationem in eodem num. 5. — Tollitur obstaculum.* — Ad alteram autem confirmationem, in qua petitur quisnam illorum actuum magis meritorius sit, an amor Dei, verbi gratia, vel voluntas amandi Deum, dicendum est, sine dubio meliorem et majoris meriti esse amorem Dei, per se loquendo, quia est de meliori objecto; melior enim est Deus quam amor ejus a voluntate creata elicitus, ut per se notum est. Neque hinc sequitur a bonitate amoris Dei denominari extrinsece bonam voluntatem illius amoris, sicut non sequitur a bonitate Dei extrinsece denominari bonum amorem ejus, sed solum sequitur voluntatem amandi habere bonitatem suam per habitudinem ad amorem ut proximum objectum suum, sicut amor Dei ab ipso Deo, ut objecto, bonitatem sumit, quam proinde majorem esse necesse est. Neque obstat quod voluntas amandi sit quasi imperium respectu actus amandi, quia non est nisi per quamdam applicationem, qua voluntas per unum actum se movet et applicat ad efficiendum alium; applicatio autem potest esse minus perfecta quam actio, quæ ad illam sequitur, quia solum est causa per accidens, physice loquendo, licet moraliter possit esse per se; ita enim actus credendi intellectus perfectior est quam voluntas credendi, licet ab illa imperetur, et voluntas potest sibi imperare per inferiorem virtutem actum superioris virtutis, ut in sequenti puncto dicam. In exemplo autem de voluntate amandi et amore, uterque actus ad eandem virtutem charitatis pertinet, quando motivum illius voluntatis est ipsa honestas amoris, nam unaquæque virtus suam honestatem diligit. Et hoc modo dixit divus Thomas 2. 2. quæst. 25, artic. 2, quod charitas charitate diligitur, quia amor ex natura potentia, cujus est actus, habet ut possit supra seipsum reflecti. Ab eodem autem habitu charitatis possunt esse plures actus, quorum unus sit per-

fectior alio, ut constat de amore Dei et proximi, et sic voluntas amandi Deum actus est minus perfectus quam ipse amor, et ideo minus etiam est meritum ejus quam amoris.

14. *Cur imperium efficax non contineat totum meritum actus imperati.* — Unde si aliquis quærat cur voluntas efficax amandi non contineat totum meritum amoris, cum voluntas pro facto reputetur, ex eadem doctrina data reddenda est ratio. Primo quidem illud principium habet verum, quando factum volitum non habet per se libertatem propriam, sed tantum ex denominatione voluntatis; in præsentem autem amor est per se liber, ut declaravi. Secundo, etiam est necessarium ut volitio contineat perfectam habitudinem ad objectum æque honestum, quod etiam invenitur in actu interiori respectu exterioris, non autem in interna voluntate, quæ esse potest de actu interno magis perfecto, ut in voluntate amandi et amore explicatum est. Et in proposito etiam efficaci servandi mandata etiam est manifestum; non enim habet tantam bonitatem vel tantum meritum, quantum erit in observatione mandatorum, quatenus a nobis actibus liberis et per se bonis fieri debet. Imo aliquis actus observandi aliquid præceptum contentum in objecto illius universalis propositi potest esse perfectior et majoris meriti quam ipsum propositum, quia potest esse melioris objecti et virtutis, sicut in actu amoris Dei declaratum est.

15. *De secundo modo imperii posito in num. 2 probatur etiam assertio.* — *Opinio Vazquez 2. 2, disp. 51, c. 5, et disp. 7, c. 10. — Inter actus ejusdem virtutis, et inter actus diversarum quarumcumque potest intervenire secundus modus imperii.* — Secundo loco dicendum est de altero imperandi genere, quo unus actus interior per modum intentionis efficacis finis potest alium etiam internum imperare, tanquam medium ad finem. Quamvis enim aliqui hoc negare tentaverint, nos id nullo modo negare possumus. Imo credimus, et intra eandem virtutem, et inter diversas, et in perfectiori respectu minus perfectæ, et in minus perfecta respectu perfectioris inveniri posse. Quæ omnia membra breviter exemplis declarantur. Nam eadem charitas intendens vel augere vel firmare magis divinam amicitiam, potest in virtute hujus actus eligere, ut medium ad illum finem, iteratum odium peccatorum, quod sit actus elicitus ejusdem virtutis. Item virtus pœnitentiæ, intendens satisfacere Deo pro

peccatis, imperare potest, ut medium, actum justitiæ, restituendi alienum, non solum quoad externum actum, sed etiam quoad internam voluntatem justitiæ; et eodem modo potest eligere actum temperantiæ, quæ sunt inferiores virtutes quam pœnitentiæ. Et ulterius eadem virtus pœnitentiæ, ut est specialis virtus distincta a charitate, potest efficaciter intendere satisfacere Deo pro offensa, quantum potuerit, et ex vi illius intentionis potest eligere, ut medium, actum contritionis, etiam a charitate eliciendum. Item potest quis vivere actum internum amoris Dei, et postea ex intentione implendi votum actum amoris eligere et imperare. Sic ergo constat omnibus illis modis fieri posse ut actus internus eligatur, ut medium ad finem per aliam virtutem intentum. Et ratio est, quia in re ipsa unus actus interior potest esse proportionatum medium ad finem intentum per eandem vel aliam virtutem, tam magis quam minus perfectam; ergo nulla est repugnantia in hoc genere electionis seu imperii. Item in vitiis et peccatis idem invenitur. Denique receptissimum est apud Theologos et Philosophos morales posse eundem actum virtutis etiam internum esse bonum essentialiter ex objecto, ac accidentaliter ex fine extrinseco. Quæ doctrina supponit actum internum posse eligi ut medium ad alium finem, estque hujusmodi doctrina maxime necessaria ad meritum moralium actuum, ut ex dictis intelligi potest, et magis in hoc puncto declarabitur.

16. *Exceptio quorundam de charitate. — Refutatur.* — *Vide auctor. in tract. 4, disp. 3, quæst. 1, et specialiter de fide in ejus tractatu, disp. 6, sect. 7, a num. 10.* — Aliqui vero ab hac doctrina excipiunt actum charitatis Dei, tum propter perfectionem ejus, tum etiam quia si in alium finem extra Deum referretur, jam amaretur Deus propter alium finem, et non propter seipsum; tum denique quia alias posset actus interior charitatis male fieri ex intentione mali finis. Sed non est vera nec necessaria exceptio, quia etiam actus charitatis potest esse medium ad honestos fines; ergo potest ex illorum intentione prudenter eligi et honeste fieri. Est enim dilectio Dei medium necessarium ad salutem; ergo potest quis ex propriæ salutis intentione, quæ est actus spei, eligere amare Deum. Item est medium ad remissionem peccatorum consequendam, ad satisfaciendum aliquo modo Deo pro culpa, et ordinari potest in cultum Dei, ut alibi dixi, vel etiam ad im-

plendum votum, ut paulo antea dicebam; ergo ex intentione religionis, aut pœnitentiæ, aut alia simili, potest imperari, et eligi; nam, supposita capacitate objectorum, ex libertate voluntatis hoc pendet. Neque hoc est contra perfectionem actus charitatis, tum quia, ut dixi, actus perfectior potest a minus perfecto imperari; tum etiam quia, licet ordinetur ad finem proximum minus perfectum, totum semper refertur in Deum ultimum finem. Neque etiam sequitur quod actus charitatis sic imperatus non sit dilectio Dei propter seipsum, quia actus dilectionis Dei, quando eligitur ut medium, non privatur suo objecto, alias privaretur suo esse, et consequenter destrueretur sufficientia et utilitas ejus, propter quam eligitur ut medium, quod aperte repugnat, et est contra intentionem eligentis. Dum ergo eligitur dilectio Dei ad aliquem finem, hoc totum eligitur, scilicet, quod diligatur Deus propter seipsum, quia hoc ipsum utile est ad alium finem, et ita retento objecto dilectionis, ipsa seu exercitium ejus ad alium finem ipsi extrinsecum ordinatur, quod nihil repugnat, imo etiam in aliis virtutibus communiter ita fit. Denique non sequitur posse dilectionem Dei male fieri, quia non potest talis actus ad pravum finem utilis esse, quod non solum de actu charitatis, sed etiam de quolibet actu virtutis interno verissimum censeo, et in alio tomo in 4. 2. Deo dante, dicam; non est ergo cur hæc exceptio charitatis fiat.

17. *Probatum jam de actu imperante, id est, de intentione. — Probatum deinde de actu imperato, seu electo ut medio intentionis finis. — Quoad libertatem.* — Hoc ergo supposito, manifestum est actum internum, imperantem alium, propter hoc suum meritum non amittere, nec remittere, quia, cum sit prior quam actus imperatus, omnino libere fit, et cum supponatur honestus ex fine suo, eligendo etiam honestum medium, ejus bonitas minui non potest; ergo neque meritum. Nunc vero addimus etiam actum imperatum addere suum proprium meritum, quod eodem modo probandum est, quo in priori puncto usi sumus, scilicet, quia talis actus sic imperatus habet suam propriam libertatem et bonitatem. Prior pars manifesta est, quando medium quod eligitur non est unicum, quia inter plura libere fit electio. Similiter res clara est, quando, licet medium sit unicum et necessarium, nihilominus neque executio, neque electio illius est necessaria pro eodem

instanti, in quo est intentio, sicut ordinarie contingit, et vix potest humano modo aliter fieri, quin intentio pro aliqua morula vel reali duratione antecedit electionem, quia debet intercedere consultatio aliqua, et simili modo executio semper est posterior electione, quia electio fit in instanti, executio ad summum solet fieri in tempore proximo. Quoties ergo intentio duratione præcedit, quantumvis medium sit unicum et necessarium, electio manet libera, quia liberum est voluntati ab intentione desistere, ne ad volendum tale medium astringatur. Denique si tanta fingatur necessitas, ut pro eodem instanti in quo primum habetur intentio, necessaria sit unici medii electio, tunc quasi uno impetu libero determinabitur voluntas ad utrumque actum intendendi et eligendi, cum mutua connexione eorum inter se; supponimus enim nunc, ut difficultati detur locus, illos actus esse distinctos, quamvis probabile sit posse in unum coincidere, tunc autem multo clarius est totum actum esse liberum. Si tamen actus imperatus supponatur esse distinctæ virtutis ab imperante, etiamsi simul fiant, semper erunt distincti, et tunc dicimus etiam actum imperatum esse in se liberum, quia tunc inter intentionem et electionem non potest intercedere consultatio, sed oportet ut prævideatur utriusque actus et objecti difficultas, et connexio eorum inter se, ut sic voluntas simul ad utrumque determinetur cum duplicato (ut ita dicam) usu libertatis, ad eundem fere modum quo superius punctum explicavi. Est ergo in hujusmodi actu imperato sufficiens libertas ad meritum.

18. *Pro bonitate ostendenda notatio duplicis bonitatis. — Bonitas in actu aut est ex objecto. — Aut ex fine extrinseco.* — Altera pars erat de bonitate ad distinctum meritum necessaria. Circa quam adverto duobus modis posse actum internum eligi ut medium ad finem alterius actus. Primo, ut talis actus sit intrinsece honestus ex proprio objecto et motivo suo, et secundum illam bonitatem eligatur ut medium ad alium finem, ut patet facile in exemplis supra adductis. Diximus enim actum charitatis, ut est amor Dei super omnia, posse ut medium assumi ad expellendum peccatum, ad quem finem est utile propter bonitatem intrinsecam quam habet; ergo secundum illam eligitur. Idem cernere licet in actibus internis, qui circa externos versantur, nam illi etiam eligi possunt ut me-

dia; ut, si quis eligat eleemosynam, ut est opus misericordiæ, ad placandum Deum, tunc non solum eligit materialem actum externum, sed etiam bonitatem moralem misericordiæ, quæ in tali actu esse potest, ad quam necessaria est interior voluntas facienda talem actum propter talem honestatem, ac proinde illa etiam eligitur in tali medio. Neque hoc repugnat in hujusmodi actibus, nam, licet respectu proprii objecti sint per modum intentionis aut amoris alicujus boni honesti propter seipsum, nihilominus possunt per aliam intentionem, vel electionem, ad extrinsecum finem ordinari. Aliquando vero potest actus interior, qui eligitur, non habere propriam bonitatem moralem ex objecto suo, sed solum quam accidentaliter recipit ex fine extrinseco, ad quem ordinatur, ut in actibus ex objecto indifferentibus, et ad finem honestum utilibus videre licet. Hic autem posterior modus vix invenietur nisi in actibus voluntatis, qui versantur circa actus externos, in quibus invenitur illa utilitas ad honestos fines, etiamsi ipsi indifferentes sint; in actibus autem voluntatis, qui mere interius consummantur, vix illa indifferentia cum utilitate ad alium finem honestum invenietur; sed de hoc alias, parum enim ad præsens refert.

19. *Probatum jam de actu imperato, seu electo, tanquam medio, ac primo de habente bonitatem solum ex fine extrinseco. — Modis. 1. 2. quest. 20. art. 4. — Tum de habente bonitatem supernaturalem ex objecto.* — In utroque ergo modo operandi invenitur aliqua bonitas in actu imperato ad meritum sufficiens, cum aliqua tamen diversitate. Nam si actus imperatus non habeat ex objecto bonitatem, per se non augebit meritum, id est, ex vi sui objecti; nihilominus tamen negandum non est quin augeat meritum in bonis, et cum proportionem demeritum in malis (quamvis aliqua contrarium sentire videantur), quia, licet radix bonitatis sit una et eadem, nempe idem finis, nihilominus in actu imperato diversimode participatur, et sicut multiplicatur actus, ita etiam multiplicatur; ergo saltem extensive meritum augetur, sicut per multiplicationem operum virtutis, vel ejusdem, vel diversæ, meritum augetur. Imo, licet contingat intentionem talis finis, et electionem talis medii (si fieri potest), uno simplici actu fieri, ille erit magis meritorius quam sola intentio, quia simpliciter est melior et difficilius, et plures eminenter continens. Sicut, etiamsi ponamus eodem actu amari formali-

ter Deum propter se, et proximum propter Deum, actus erit magis meritorius quam solus Dei amor, cæteris paribus. At vero quando actus interior imperatus est bonus ex objecto, tunc non solum ratione intentionis extrinseci finis, sed etiam ratione bonitatis, quam talis actus habet ex proprio objecto meritum crescit. Ratio est, quia illa electio et operatio simpliciter est melior quam si ille actus imperatus esset ex objecto indifferens, major autem bonitas cæteris paribus auget meritum. Estque hoc evidens, quando talis actus etiam ex objecto est supernaturalis et infusus. Nam, si talis actus per se solus fieret sine relatione ad extrinsecum finem, haberet suum proprium meritum; hoc autem non auferitur propter relationem ad alium bonum finem; ergo ex utroque capite simul crescit meritum. Unde ad majorem claritatem distinguo ibi tres actus (sive semper intercedant re ipsa distincti, sive interdum virtute tantum): unus est intentio, verbi gratia, colendi Deum, alius voluntas amandi ipsum ad hunc finem, tertius est amor. Dico ergo in his omnibus reperiri aliquod meritum, et ita ex omnibus coalescere unum, cui majus præmium respondet quam singulis partibus ejus. In actibus autem internis imperatis, qui ex objecto habent quidem bonitatem moralem, sed ordinis tantum naturalis, habet hoc aliquam difficultatem, propter quam distinctius explicandam cætera exposui quæ in hoc capite dixi.

20. *De habente vero bonitatem ex objecto moralem, pars negans probari videtur.* — Ratio autem difficultatis est, quia actus virtutis acquisitæ non habet bonitatem intrinsece proportionatam ad meritum gloriæ; per imperium autem vel ordinationem ad finem supernaturalem illa bonitas in se non fit melior, sed solum illi additur alia bonitas accidentaria ex fine supernaturali, ac proinde ordinis supernaturalis, et proportionata ad meritum; ergo solum ratione illius poterit inferior actus acquisitus denominari meritorius, nunquam tamen habebit proprium meritum, ratione suæ bonitatis naturalis. Confirmatur ac declaratur, nam actus acquisitus moraliter bonus, per se spectatus, indifferens est ad meritum vel demeritum, etiam in homine justo, ut supra dictum est; nam si illum faciat sine ulla relatione seu modo supernaturali, neutrum habebit; ergo quando fit meritorius, ratione supernaturalis modi ei superadditi, totum meritum est ab illo addito, et nihil a

propria bonitate. Sicut si actus indifferens secundum speciem in ratione boni et mali, quando postea in individuo fit bonus, totam bonitatem habet ex fine, et ad illam nihil confert, nisi materialiter, species indifferens quam ex se habet. Et tandem possumus a contrario argumentari, quia si actui morali relato ad finem supernaturalem responderet aliquid meriti, ratione suæ bonitatis, et aliquid adderetur ex illa relatione, sequeretur quod sine ista relatione aliquid meriti in se retineret, et ita posset esse meritorius sine ullo modo supernaturali, quod est contra dicta, quia, sive sit magnum, sive parvum meritum, sine illo fieri non potest sine quo nihil fieri potest, ut argumentatur Augustinus.

21. *Pars tamen affirmans suadetur.* — In contrarium vero est, quia sequitur actus internos virtutum moralium acquirarum non esse magis meritorios quam sint actus externi, scilicet, per denominationem extrinsecam a superiori actu imperante; consequens non videtur admittendum; ergo. Probatur sequela, quia actus acquisitus non constituitur in accidentaria specie supernaturali, nisi per denominationem moralem extrinsecam ab alio actu supernaturali a quo imperatur, vel ordinatur in finem supernaturalem; eodem autem modo denominatur actus externus; ergo æquiparantur, sive denominatio sit æque immediata, sive ad actum externum perveniat, mediante interno; hoc enim ad præsens nihil refert, sed satis est quod denominatio meriti sit extrinseca, nam hoc est quod videtur inconveniens, ut in minori dicitur. Quæ probatur primo, quia alias non magis auget meritum bonitas interioris actus virtutis quam exterioris, ac proinde non esset majus meritum in voluntate dandi majorem eleemosynam quam minorem, si relatio supernaturalis, quæcumque illa sit, sit æque bona, et sic de cæteris actibus virtutum acquirarum. Imo etiam sequitur non esse magis meritorium actum virtutis acquiratæ, factum ob aliquem finem supernaturalem, quam actum de se indifferentem, et æque utilem, et æque ordinatum ad eundem finem, quæ omnia videntur absurda. Ac tandem videtur hoc modo coincidi in opinionem negantem, hos actus morales acquiratos esse meritorios, quia revera illis, ut tales sunt, nullum præmium respondet, sed solis actibus supernaturalibus, a quibus informantur.

22. *Quæ et eligitur et declaratur, ut expe-*

diantur paulo ante objecta in num. 20. — In hoc puncto dicendum mihi videtur bonitatem moralem hujusmodi actuum aliquid conferre ad meritum de condigno. Quamvis enim res hæc minus sit certa quam quæ hæcenus diximus, possitque non improbabiler sustineri illam bonitatem non augere meritum essentialis beatitudinis, sed ad summum propter illam tribui aliquid præmium accidentale, nihilominus quod diximus videtur probabilius, propter ea quæ supra adduximus, c. 10, ad probandum hæc opera moralia esse meritoria vitæ æternæ, quod meritum in voluntate talium operum principaliter constituitur; ergo absolute tota voluntas interior, quæ ad similia opera externa concurrat cum propria libertate et bonitate, confert etiam ad meritum illius præmii, quod in Scriptura dicitur tribui propter talia opera; hoc autem est essentialis beatitudo, ut ostendimus. Declaratur præterea ex differentia inter actum internum virtutis acquiratæ et mere externum, nam in actu externo non est formaliter propria bonitas moralis, sed tantum objectiva, quæ per se et intrinsece non constituit meritum, sed specificat bonitatem actus meritorii; in actu vero interiori inest formaliter propria bonitas moralis, quæ imputatur homini libere operanti, et placet Deo. Et quamvis nude sumpta non placeat Deo in ordine ad finem supernaturalem, nihilominus aptitudinem habet quasi obedientialem, ut conjuncta moraliter relationi supernaturali, componat unum actum moralem consentaneum fini supernaturali; ergo hoc modo bonitas ejus confert ad meritum illius finis non tantum per modum objecti, sed etiam per modum actus constituentis aliqua ex parte illud meritum. Et hoc confirmant argumenta posteriori loco posita, et non obstant priora, quia, licet bonitas illa per se sola non sufficiat ad meritum, nihilominus potest esse apta ut, elevata ad superiorem finem, possit concurrere ad componendum tale meritum, aliquid ex parte sua ad illud conferendo.

CAPUT XII.

UTRUM INTENTIO OBTINENDI PRÆMIUM SIT SUFFICIENS VEL NECESSARIA AD MERITUM DE CONDIGNO, VEL POTIUS ILLI REPUGNET?

1. *Questionis utilitas.*—Quamvis dictum sit quæcumque intentionem supernaturalem ad meritum sufficere, et intentio præmii sub illo

ordine contineatur, nihilominus propter hæreticos hujus temporis, et propter specialem difficultatem quam habet, aliquid de illa dicere necesse est. In titulo autem proposito tria continentur: primum, an hæc intentio repugnet merito; secundum, an sit necessaria ad illud; tertium, an sufficiat?

2. *Primum punctum: an intuitus mercedis obstet merito, cui hæretici affirmative respondent.*—*Forum fundamentum.*—Circa primum hæretici hujus temporis talem intentionem reprobant, dicuntque indignum esse mercede apud Deum, qui intuitu illius Deo servit, aut bene operatur. Ita refert ex Calvino et aliis Bellarminus, l. 5 de Justif., c. 8. Fundamentum solum esse potuit, quia operari intuitu mercedis, servile est, et ex amore mercenario procedens. Mercenarius autem amor excludit amorem charitatis, sine quo non est meritum; ergo hæc intentio lucri et mercedis excludit verum meritum apud Deum. Minor habetur imprimis apud D. Thomam 2. 2, quæst. 19, art. 4, ad 3, ubi dicit amorem mercenarium secundum se charitati esse contrarium; et Bernardus, lib. de Diligendo Deo dixit, *charitatem non esse mercenariam.* Et ratione probatur, quia charitas diligit Deum propter se, et omnia opera bona dirigit in ipsum propter gloriam ejus; amor autem mercenarius, et intentio proprii commodi, quæ ex illo nascitur, omnia trahit ad ipsum operantem, et in eo sistit; ergo talis intentio excludit amorem charitatis, saltem ab operibus sic factis; ergo consequenter ab illis meritum excludit. Imo videtur etiam ab ipsa persona excludere charitatem, quia per talem intentionem videtur homo Deum ad se referre, et in se tanquam in ultimo fine sistere, quod est peccatum mortale.

3. *Pars negativa est de fide.*—*Probatur ex Script. et ex Tridentino.*—Sed nihilominus dicendum est hanc intentionem non repugnare merito de condigno apud Deum, imo esse posse valde utilem ad excitandum hominem ad bene operandum, ac propterea consulendam, saltem imperfectis et incipientibus. Assertio est de fide certa. Primo, quia in Scriptura expresse habetur, nam imprimis Deus sæpe excitat homines ad virtutem promissione præmii, ut Ecclesiast. 18: *Ne recararis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum;* et Christus, Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et Luc. 16: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant*

vos in æterna tabernacula. Et similia habentur Matth. 3, 4, 5, 6 et 10. Deinde in eadem Scriptura habemus exempla Sanctorum, nam de se dicit David, Psal. 118: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem;* et de Moyse dicit Paulus ad Heb. 11, fide elegisse affligi cum populo Dei, *quia aspicebat in remunerationem,* et de Abraham et aliis Patribus ait: *Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Et de se ait idem Apostolus: *Ad destinatum persequor ad brævium supernæ vocationis.* Unde ad Galat. 6, ad omnes dicit: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus;* et 2 ad Corinth. 9: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Ex quibus et infinitis aliis, quæ passim occurrunt, manifeste constat, Scripturam verbo et exemplis hanc intentionem approbare, quæ non induceret omnes ad bene operandum proposito præmio, si illius intentio meritum impediret. Et alia ad hoc confirmandum attigimus supra lib. 2, c. 13, in ultima probatione nostræ sententiæ. Ex Patribus etiam aliqua recitat Bellarminus, essetque facile plura congerere; sed illa omitto, quia res est clara et definita in Concilio Tridentino, sess. 6, c. 11, ubi docet eos adversari orthodoxæ fidei, qui dicunt justos in omnibus operibus peccare, si in illis, suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam. Et in can. 31 brevius definit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

4. *Ratione stabilitur.*—Ex quibus potest etiam ratio formari. Nam hæc intentio operandi propter supernaturalem mercedem in se non est mala, imo est ex objecto bona; ergo per se non excludit charitatem; ergo non est cur merito repugnet, aut illud impediatur. Hæc secunda consequentia manifesta est, quia meritum fundatur in bonitate actus; ergo nulla bonitas actus potest per se excludere meritum, aut repugnare illi, sive ad illud sufficiat, sive non. Probatur ergo primum antecedens, quia beatitudo supernaturalis est verum et magnum bonum, et maxime consentaneum naturæ intellectuali, ac subinde est honestissimum objectum, ut amari et desiderari possit propter bonitatem quam in se habet; sed intentio consequendi illam beatitudinem fundatur in hoc amore, et in vera existimatione, qua creditur per viam meritorum pervenien-